

75

que fuerunt. Quis neget? Verum quis fasces solis in Viris
 praelatos contendat? Florente equidem Republica fasces mu-
 nicipalibus Magistratibus negatos recte observat Gothofr. ad l.
 174. de Decurion. Cod. Theod., sed Duumviris lictores tan-
 tum cum bacillis permisos. Post Tiberii tempora, ut existi-
 mat Norisius citato Cap. 3. Dif. I. in Cen. Pis. fasces etiam
 ab eisdem usurpari ceperunt. Procedente tempore, aliis quo-
 que Municipalibus Magistratibus praelati; Aedilibus nempe: do-
 cet idem Apulejus Miles. lib. I. *Sed quid istud? Voti gaudeo,*
nam & lixas, & virgas, & habitum prorsus Magistratui con-
gruentem in te video: Annonam curamus, ait, & Aedilem geri-
mus. At enim Aedilatus fuit alicubi summus Municipiorum
 Magistratus Ciceron. teste lib. XIII. Fam. Ep. 11. *Constitu-*
endi Municipii causâ hoc anno Aedilem filium meum fieri volui &
fratris filium, & M. Casum hominem mihi maxime necessarium
 [is enim Magistratus in nostro Municipio, nec ullus alius crea-
 ri solet] Recte quidem Arpini, non item Hypata, ubi prater
 Aedilem alii quoque fuerunt Magistratus, qui lib. III. Miles.
 Apulejum tamquam homicidam missis licitoribus comprehende-
 runt. Præterea Aediles Ciceronis universam Municipii Arpi-
 natis Rempublicam administrabant; an non ideo Tullius Bru-
 to scribit, ut ex vectigalibus, quæ in Provincia Gallia Arpi-
 nates habebant, pecunias Legati ab Arpinatibus missi celeriter
 & expedite eo Proconsule exigent? Verum Aedilis Apuleii
 ex iis Aedilibus fuit, qui in omnibus fere Colonis, Municipi-
 iisque creabantur, ut Viarum, Aediumque sacrarum curam
 haberent, sed præcipue annonæ: fuerunt enim rebus venalibus
 præpositi, cibariis præsertim, cupediisque quæ vendi in popu-
 lum solebant, ut iusto pretio venderentur, ut erudite docuit
 G. Panciroll. de Magif. Munic. cap. XIX. quorum munus Pi-
 sauri ii nunc obeunt, quos *Regolatori* vulgo vocant. Et ve-
 ro non solum ille se Annonam curare diserte testatur: *An-*
nonam curamus, ait, & Aedilem gerimus, & si quid obsonare cu-
pis, utique commodabimus: sed etiam ubi audivit pisciculos
 tanti Apulejo venditos fuisse, pro Aedilitatis imperio voce
 asperimâ piscatorem increpavit, & novo sane coercendi mo-
 do, ut venditorem pœnâ afficeret, emptoris pisces nullo red-
 dito pretio spargi, & pedibus conculcari iussit. Quum igitur
 Aediles (*) quoque fasces usi sint, cui iisdem usos fuisse

K 2

Quin-

(*) Præter Aediles Securis quoque Augustalis concessos fasces docet Arbuter in Satyr. &
 quod præcipue miratus sum, in postibus triclinii fasces erant cum securibus fixi, quorum
 imara